

*est ultimum, perfectione & instituto est primum; & quod instituto & perfectione est primum, generatione seu existentia est posterius.* 3. Ratione præstantiæ essentialis vel accidentalis. Sic visus dicitur naturâ prior cæteris sensibus. 2. *de ort. & interit. contex. 7.* His ita constitutis quatuor quæruntur. 1. An semper ab universalibus ad particularia, à generalibus ad specialia sit procedendum in methodicâ tractatione? 2. An semper ab imperfectis ad perfecta, & à simplicibus ad composita sit procedendum? 3. An semper à facilio-ribus ad difficiliora, à dignioribus ad indigniora sit procedendum? 4. An semper progrediendum à consentaneis ad dissentanea, ab absolutis ad respectiva, ab essentialibus ad accidentalibus? Resp. ad 1. affirmatè. Quamvis enim particularia sint notiora universalibus secundum sensum & confusam cognitionem: tamen non sunt secundum rationem & distinctam cognitionem. Objicis: At omnia disciplinarum præcepta sunt universalia? Ajo: At dantur gradus generalitatis. Hinc dicimus, quòd in methodicâ tractatione sit progressus à generalissimis per subalterna ad specialissima seu infima. Deinde universalia non hîc dicuntur eo sensu, quo axiomata diximus universalia, quæ signum universale habent additum; sed eo modo, ut paulò antè diximus in definitione generalium. Resp. ad 2. distinguendo inter methodum perfectam disciplinarum, & thematum seorsim tractandorum: & rursus inter methodum disciplinarum syntheticam & analyticam. In methodo syntheticâ procedimus à simplicioribus; in analyticâ à compositis. In methodo thematum seorsim h. e. extra systema disciplinæ tractandorum procedimus à composito ad simplicius. v. g. à causato vel toto ad causam vel partes. Si enim thema tractandum, sit causatum; necesse est ut primo loco consideretur, quamvis sit compositum & perfectum. Resp. ad 3. A facilio-ribus & dignioribus tum demum est incipiendum, cum illa faciunt ad difficiliorum & indigniorum claram & distinctam cognitionem. Nam sæpè digniora sunt obscuriora intellectu, & singularia sunt facilia universalibus, si spectes cognitionem sensualem. Resp. ad 4. affirmando. Nam consentanea dissentaneis, absoluta respectivis, & essentialia accidentalibus sunt priora & notiora naturâ.

Lex col-